



21

14

1759

5

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
POSTERIOR
DE
S O M N I I S

Q V A M
AVCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS

D. XVIII. MAIi CCLVIII.

P V B L I C E T V E B V N T V R

M. IOANNES LVDOVICVS SCHVLZE

ALVMNOR. REG. ET SEMIN. THEOL. INSPECTOR

ET
RESPONDENS
IOANNES FRIDERICVS FRENZEL

CLADOVIA - NEOMARCH. S. TH. C.



H A L A E
L I T T E R I S F R A N C K I A N I S .

DISSESSATIO PHILOSOPHICA
POSTERIOR

S O M N I I S

PHILOSOPHORVM ORDINES
MOTIVS ETADOLICAS SCHOLAE
PARVITATIS ET AVANTIA
VACATORIATÆ AMPLISSIMI

IN VENDETTA PREDICARUM
RESPONDENS
IN VENDETTA PREDICARUM



VIRO
ILLVSTRI
CHRISTIANO BVCHNER

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI
DICASTERII SVPREMI NEOMARCHICI ET SACRI REGI-
MINIS CONSILIARIO GRAVISSIMO

PATRONO SVO
OMNI ANIMI OBSERVANTIA
MAGNO PERE SVSPICIENDO.

SINCERISSIMO OMNIGENAE ZEFLATIS VOTO
HOC RELENTIS SVAE MONUMENTVM
VIRO
SVMME VENERANDO
**CHRISTIANO FRIDERICO
SADEWASSER**

MAGIO - SYNEDRII NEOMARCHICI CONSILIARIO PASTORI
CÜSTRINI ET SVPERINTENDENTI

PATRONO SVO
OMNI PIETATIS ET HONORIS
CVLTU PROSEQVENDO.

VIRO
PLVRIMVM REVERENDO
IOANNI AVGUSTINO
FRENTZEL
CLADOVIAE, COELOSTADI, HEYNERSDORFFII
PASTORI VIGILANTI
PATRI SVO OPTIMO

SINCERRIMO OMNIGENAE SALVTIS VOTO
HOC PIETATIS SVAE MONUMENTVM

PONERE VOLVIT
SVMME AVNGRUNDI
CHRISTIANO FRIEDERICO
SADEWASSER

RESPONDENS.

PATRONO SVO

OMNI PIETATIS ET HONORIS

CARTA LIBERALISSIMA



ARGVMENTVM HVIVS DISSERTATIONIS.

I. Sectio prima, de convenientia somni-
orum supernaturallium et naru-
ralium.

1) nexus, §. 41.

2) somniorum supernaturallium de-
finitio, §. 42.

3) possibilis, §. 43.

4) indoles, §. 44 - 46.

1. respectu animae, §. 44.

2. respectu corporis, §. 45.

5. convenientia somniorum natura-
lium et supernaturallium, §.

46 - 51.

a) generalior eius consideratio,
§. 46.

b) specialior, §. 47 - 51.

a. respectu narvae sedis eo-
rum, §. 47.

b. respectu duplicitis status ani-
iae,

aa. in somno, §. 48.

bb. in somno, §. 49.

cc. respectu obiecti, §. 50.

d. respectu claritatis perceptio-
num, §. 51.

II. Sectio secunda, in qua differentia
eorum ostenditur, §. 52 - 58.

1. causae illius pertinunt:

a. ex indole animae, §. 52 - 53.

b. ex ipsa horum somniorum na-
tura, §. 54.

2. poriora illius momenta ad quin-
que reducuntur, §. 55 - 59.

Quo pertinet:

1) origo illorum, §. 55.

2) obiectum, §. 56.

3) continuatio, §. 57.

4) ordo in illis observabilis, §. 58.

5) finis, ad quem tendunt, §. 59.

III. Sectio tercia, causas in dividu-
candis somnis supernaturalibus

obseruandas exponens, §. 60 - 66.

1. necessitas carum ostenditur, §. 60.

2. recensentur, §. 61 - 62.

3. ad extatiorum quaedam exem-
pla applicantur, §. 63 - 66.

F SECTIO

SECTIO PRIMA.

DE

CONVENTENTIA
SOMNIORVM NATVRALIVM
ET
SVPERNATVRALIVM.

Nexus.



§. XLI.

riorem de somniis Dissertationem, quam nuper produximus, haec posterior excipit, quae proximum post illam locum iure suo sibi vindicat. Quae in priori specimine de somniis disputationis, non nisi ad naturalia (§. XXVI.) spectarunt: supererit igitur, ut fidem datam liberemus, et ad propriem confederationem somniiorum, quae contra cursum naturae sunt, accedamus. Dignitas huius argumenti non magnopere praecone indiget. Qui icium aut sterile illud esse putat, is omnino dulcedine, quam investigatio veritatum abstrusarum excitat, parum adsciat necesse est. Facile cum eruditis sapimus, si discendi cupido ad ea tantum, quae in oculos quasi incurvant, refringitur, iis omnibus omissis, quae altioris sunt indaginis. Sed operae omnino pretium est, ad ea, quae primo intuitu nostris se subducunt oculis, aut ab omni ordine naturae aliena esse videantur, accuratis attendere. Ardua quidem res est, multisque difficultatibus premitur, facile autem ab aequo iudice veniam imperat, qui a via non satis trita parumper aberrat, titubat aut per deuia ducitur, cum aquitas nonnunquam postulet, ut iis, qui in rebus naturalibus investigandis offendunt, adeoque pleno quasi lumine eaeutiunt, ignorcamus.

Somnia pro vario divisionis fundamento diversimode dispescuntur §. 26.
Talmudici tres eorum species numerant, propheticum, simplex, vel
naturale, ac diuinatorium. Alii vel naturalia, vel daemonica, vel
diuina

divina ad nittunt somnia. Alii aliter subordinant somnia, respectu ad eorum originem et naturam habito. Distincio eorum in naturalia, praeraturalia et supernaturalia iam a longo inde tempore recepta, facile cum illa conciliatur, qua in naturalia vel humana et supernaturalia aut divina dispersi solent.

§. XLII.

Somnium, quod leges sensationis et imaginationis non sequitur, supernaturale est. Potiora momenta in doctrina de somniis supernaturali consideranda, ad duo haec recidunt, vt ad eorum ortum et continuationem attendamus. In hoc discrepant somnia, cum in modo, quo finiuntur, fere convenient. Somnium naturale ortum suum ducit a sensatione (§ XXVIII), adeoque a lege sensationis, quam illa sequitur (per princ. Psychol. empir.). Hinc per vim representati-
vam animae nostrae pro situ corporis secundum legem sensationis producitur, ergo naturale est (per princ. Psychol. rationalis). Ita productum per successionemphantasmum continuatur (§. XXVIII), adeoque iuxta legem imaginationis, quae phantasmatu dirigit, et secundum animae nostrae naturam (per princip. Psychol. empir. et rationalis). Quaecunque igitur somnia non per legem sensationis productur et per legem imaginationis non continuantur, non sunt naturalia, sed supernaturalia (per princip. Psychol. rationalis).

*Supernaturale contradistinguumus naturali, siue illi, quod animae nostrae naturale est; quatenus omnia, que in anima nostra, per vim illius representativam vniuersitatem pro situ corporis, producentur, dicuntur, dici solent. Supernaturalia somnia respectu naturae entis illius contingens, in quo producentur, praeternaturalia sumul dici possant. Alii supernaturalia et praeternaturalia somnia ita distinguitur, ut priori nomine ea tantum veniant, que in anima nostra immediate a Deo producentur, postfecri autem, omnia ea, que vel a Deo mediate per alios spiritus ratione praeditos in anima excitantur, vel in genere ex animalibus nostrae naturae non satis cognoscit possant. Hinc illa vocantur somnia diuinæ sensu rigoroso et strictissimo, haec autem sensu latiori hoc nomine veniant. Ne vero cum verbis ludere videamus, in subsequentiibus semper terminum *supernaturalis* adhibebamus, cum habeat somnia nunquam non ab ordine naturae vel hoc vel illo respectu, aut magis aut minus re edant. Id vero addimus, *diuinum* hoc loco non illud dici, quod in Deo ipso est, aut divina pro obiecto habet, sed quod Deum auctorem agnoscit.*

§. XLIII.

Supernaturalia somnia sunt possibilia, nec essentiae animae, si Possibilitas in illa eveniunt, repugnant. Possibilitas eorum ex contingentia somniorum

supernatura-
liam.

positi demonstratur. Quum enim somnia naturalia, quae secundum ordinem naturae eveniunt, ad seriem contingentium pertineant, adeoque contingentia sunt, oppositum eorum possibile est (per princip. Ontol.). Ergo somnia supernaturalia non implicant, sed omnino possibilia sunt. Hinc simul patet, ea, nec essentiae animae, in qua eveniunt, repugnare. Hoc enim si esset, absolute impossibilia, adeoque ex possibilium serie proscribenda forent.

Somnia supernaturalia cum miraculis multa communia habent, tum quod absolutam tam quod hypotheticam eorum possibiliter attinet. Perpetram autem hinc concluderetur, somnia quae supernaturalium nomine nobis veniunt, ad unum omnia pro miraculis esse habenda. Possibilitas eorum non adeo levis est momenti, ut omni probatione indigna sit. Tam impia sunt convitra, que malevolentie et ignorisimi homines, non antiquorum solam temporum, sed nostri etiam, quod maxime dolendum, saeculi, in somnia diuinis olim immissa, euouerunt, ut illa vanis figuris ac phantasias illusionibus adnumerare, et cum magno verborum strepitu ad chimeras reiicare haud erubuerint. Philosophum itaque, si vel ultra progreedi ipsi non liceat, magnopere decet, praecocis haec ingenia, quae plus quam alii omnes sapere sibi videntur, edocere, quantoper iudicium suum praecepit, si id, quod per sanioris Philosophiae principia nullo modo implicat, vi absolum declamat. Alter omnino sentit, qui ex somnis supernaturalibus, quorum fidem nobis facit Scriptura S. Possibilitatem eorum a posteriori evincere aggressi sunt.

§. XLIII.

Indoles somniiorum supernaturalium respectu animae. Propius accedimus ad ipsam somniorum supernaturalium intendit, quae tum ratione animae tum ratione corporis et mutui, quod inter illud et animam intercedit, commercii, consideranda venit. Respectu animae ad duo praecipue hoc attendere debemus: primo scilicet, animam non sufficientem somniorum supernaturalium rationem continere, et deinde ex somnis hisce quedam naturaliter in anima oriri, quae alias yix locum habere potuerint. Primum sic probamus: Vis representativa vniuersi propositu corporis organici constituit naturam et essentiam animae nostrae (per princ. Psychol. ration.). Hinc rationem sufficientem omnium, quae per facultates animae in ea possibilia sunt, si actuantur, continet. Quicquid ergo naturaliter in anima producitur, in vi representativa vniuersi sufficientem rationem habet, adeoque per ipsam animae eslen-

essentiam et naturam actuatur. Nam autem vis animae tantum est unica. (per princ. Psychol. rational.) Supernaturalia itaque cum per vim repraesentativam vniuersi actuari nequeant (per princ. Coll. et Psychol.) ratio, sufficiens eorum in anima existere non potest. Adeoque nec somnia supernaturalia sufficientem rationem in anima habent. Alterum ita evictum ibimus: In omni somnio datur phantasmatum successio (per princ. Psychol. empir.). Ut virginitas haec phantasmatum praeviae sensationis originem suam debeant, naturaliter tamen se excipiunt. Hinc etiam in somniis supernaturalibus quedam naturaliter in anima contingunt. Et si somniis supernaturalis meminimus, ideae quas in somnio habuimus, reproducuntur (per princ. Psychol. empir.). Haec quidam actio animae nostrae naturalis est, ideae autem, quas tunc reproducimus, nisi supernaturaliter ante in anima productae fuissent, reproducni non possent, sed aliae naturaliter productae fuissent. Hinc naturaliter ex somnio supernaturali in anima oritur, quod alias vix locum habere potuisse.

Quae iam de indole somniorum supernaturalium breviter dicta sunt, infra pluribus exponentur, si ad eam Dissertationis partem peruenimus, in qua de somniis naturali et supernaturali conuenientia ac differentia ex insituro disputabitur. Plura iam non addimus, cum haec principia tantum genera' sint, quibus nobis viam, ad specialem huius argumenti tractationem mox subiungendam, sternimus. Priorem huius sp̄hi partem ne quis ita intelligat, ac si facultates animae nostrae in omni hoc negotio plane otiosae essent, infra cauebimus.

§. XLV.

Supereft, ut indolem somniorum supernaturalium, respectu corporis eiusque cum anima commercii, exponamus. Quod de anima evictum dedimus, supernaturale somnum in ea naturaliter cœnire, quae alias locum habere non potuerint (§. XLIII.) idem etiam de corpore valet. Cum enim talis sit idea sensualis aut phantasmatum, qualis est idea materialis (per princ. Psychol. ration.), quotiescumque phantasmatum in anima supernaturaliter producuntur, iis ideae materiales respondeant necessaria est. Nam si somni meminimus, reproducuntur ideae materiales, quae cum phantasmate coexistebant. Quod cum naturaliter quidem fiat, necessario autem mutationem aliquam in cerebro prodicat, etiam in corpore ex somnio supernaturali aliquid oriſ potest. Cum autem hac ideae materiales non na-

Indoles co-
rum respectu
corporis.

turaliter orientur, aliae earum loco, si somnium naturale fuisset; oriri debuissent, hinc aliquid in corpore ex supernaturalibus somniis oriri posse patet, quod alias locum habere non potuisse.

Quantumcumque sit discrimen, quod inter naturalia et supernaturalia obtinet, tam immenso tamen non a se inuicem disiunguntur hiatu, prout nonnullis videtur, ut nihil omnino in illis, legibus naturae conuenienter accidat. Sapienter summus ille rerum conditor omnes animae corporisque mutationes ad regulas per ordinem naturae prescriptas adstrinxit, nec illas in eventibus supernaturalibus praeter necessitatem violare, aut eas penitus ab illis exulare unquam voluit. Quod in hac Ἡψῳ de inde somniorum supernaturali in respectu corporis, eiusque cum anima commercii breueriter differimus, per multas instantias huiusmodi somniorum, quae in actiones corporis actualiter influant, facile pluribus illustrari possent.

§. XLVI.

Generalior
conuenien-
tiae somnio-
rum natura-
lium et super-
naturalium
consideratio.

Hisce praelatis, ipsa somniorum supernaturalium cum naturalibus conuenientia ostendi poterit. Distincta supernaturalium somniorum cognitione plane destitueremur, nisi de naturalibus ex Psychologiae principiis inter nos satis constaret. Hoc quasi ariadneum est filum, quo duce feliciter ex difficultatibus, quibus haec doctrina implicatur, tanquam ex labyrintho euadimus. Spe autem omni excideremus; et opera omnis inutiliter collocaretur, si de re inani disputatio esset. Haec considerantes non omnino rudes ad hoc negotium accedere voluimus. Hinc postquam in priori specimine de natura somniorum in genere differimus, et quomodo naturaliter somnia producentur et in anima nostra aut continuantur, aut interrumpuntur, exposuimus, ad difficiliora facilior erit progressus. In eo nunc versabimur, ut somnia supernaturalia, quorum intrinsecam possibilitatem (§. XLIII.) aequae ac eorum indolem, respectu animae eiusque cum corpore commercii (§. XLIII., XLV.) euoluimus, cum naturalibus comparemus, vt eo magis appareat, in quo conueniant, aut a se inuicem discendant.

§. XLVII.

Speciolarior
convenien-
tiae somnio-
rum natura-
lium et super-
naturalium
consideratio.

Primum in quo somnia naturalia et supernaturalia conueniunt, est sedes omnibus somniis, qualiacunque sint, communis. Pertinent ad eas animae nostrae mutationes, quae per phantasiam potissimum actuuntur. Somnia naturaliter producta perphantasmatum

tum successionem continuantur (§. XXVIII.). In somniis supernaturalibus phantasia certo respectu idem et plus adhuc praefat. Ille ope tum imagines rerum, quae animo obueriantur, ad scopum fixum diriguntur, tum ipsa nonnunquam somnia supernaturalia excitantur.

Non negamus, exorbitantemphantasiam impedimento esse posse, quo minus certa quaedam representatio in anima exciterit. Huic autem periculo aliunde satis profici, infra patebit. Id hoc loco tantum innuimus, phantasiam nostram in somniis supernaturalibus aequa ac in naturalibus insignem vsum praestare.

§. XLVIII.

Idem quoque in somnio naturali et supernaturali est status animae. Ut haec eorum conuenientia eo melius appareat, status animae in somno a statu eius in somnio distinguendus est. At priorem quod attinet, anima si somno opprimitur, est in statu obscurarum perceptionium (per princ. Psychol. ration.), et cum in perceptione totali partiales tunc non distinguantur, etiam totalis confusa est. Nec per organa sensoria, quamdiu dominus, facile perceptio in anima excitari potest, cum fibrillae neruae organorum sensoriorum non satis aptae sint, ad motum illum, quam obiecta illis imprimunt, excipendum. Hinc motus, qui fibrillis nervis organorum imprimi et deinde ad cerebrum usque continuari solet, cessat; adeoque non facile perceptio quaedam per organa sensoria in anima, quamdiu in hoc statu manet, produci potest.

Hinc perspicitur, cur non semper somniemus, quod fieri omnino posset, cum si semper in somno sic cerebri statut, ut ideae materiales in eodem excitari possint, quae in eo, si vigilamus, producentur. Eadem semper ad somnum dispositio in cerebro adest, rarius tamen illud contingit, quia phantasma nullum sine praevia sensatione locum habet (§. XXVIII.) in cerebro autem nulla ideae materiales produci possunt, nisi tales per organum sensorium excitatae fuerint (per princ. Psychol. ration.), quod propter statut organorum sensoriorum in somno non facile permititur. Ex hoc principio nouum pro possibiliitate somniorum supernaturalium (§. XLIII.) argumentum petitur.

§. XLVIII.

Supereft, ut ad statutum animae in somnio attendamus (§. XLVIII.), qui certo respectu in vitroque casu idem est. In somniis naturalibus aequa

DISSERTATIO DE SOMNIIS.

44

aeque ac supernaturalibus anima est in statu perceptionum distinctarum. In somnio anima sui sibi conscientia est (per princ. Psychol. empir. et ration.). Hinc perceptiones de se habet, earamque sibi conscientia est. Hinc perceptiones partiales in totali distinguit. Cum itaque perceptio totalis distincta sit, etiam animae in somnio statu perceptionum distinctarum competit (per princ. Psychol. ration.).

Animam in somniis supernaturalibus in eodem statu versari, nemo facile negabit, cui cognitum est, hoc de somniis in genere praedicari posse. Hoc respectu status animae in somnio semper idem est, vel sunt naturalia haec somnia, vel supernaturalia. Cum vero perceptiones nostrae in somnio naturali inordinatae sint (§ XXXII), alio respectu diversitas quaedam inter naturalia et supernaturalia somnia ratione huius status animae nostrae, intercedit.

§. L.

Eadem est somniorum supernaturalium ad naturalia relatio, si ad obiectum eorum reticimus. Illud omnibus somniis commune est, ut rebus absentibus occupentur (per princ. Psychol. empir.). Idem ergo omnibus est obiectum. Cum enim somnia proprie sint phantasiae opus (§. XXV. XXVIII. XXX. XLVII.), imaginationes autem sunt perceptiones rerum quae olim praefecentes fuerunt, (§ XXV.) dubio omni caret, obiectum somniorum non nisi res absentes esse posse. Et cum ea sit organorum sensorum in somno conditio, ut non satis aptae sint, suo munere defungi (§. XLVII.) adeoque sensationes impediuntur, denuo inde apparet, res absentes proprium somniorum obiectum constitutre. Quod cum de somniis in genere valcat, facile ad supernaturalia adplicatur.

Duae sunt rerum absentium species, cum vel praeterita sint, vel futura. Hinc alio respectu ensaeitur diversitas somniorum naturalium et supernaturalium, quam autem in subsequentibus, ubi opportuna de hoc argumento differendi occasio dabitur, pluribus explicare animus est.

§. LI.

Vltimum denique eorum quae somniis naturalibus et supernaturalibus communia sunt, superest, scilicet perceptionum claritas. Anima, dum somniamus, est in statu perceptionum distinctarum (§ XLVIII.) adeoque sui et perceptionum suarum sibi conscientia est (per princ. Psychol.) hinc perceptio totalis eius distincta est (per princ. Psychol.

Psychol. empir.) Ergo perceptiones partiales, quae totalem ingrediuntur, clarae sint, necesse est.

Ob diuersitatem graduum claritatis, quae perceptionibus inest, perceptiones partiales in somniis aut magis aut minus clarae sunt, prout vel a sensatione vel ab imaginacione proficuntur, aut notarum magnitudine et multitudine differunt. Eadem fere est hoc respectu relatio somniorum supernaturalem ad naturalia, cum ea, quam supra (§. XLVIIII) obscurauimus. Vberiorem autem diuersitatis, quae ratione claritatis perceptionum inter vtrumque somniorum genus intercedit, explicatio, in proxima, ad quam deproperamus, sectione, milio suppeditabitur.

SECTIO II.

DE

DIFFERENTIA SOMNIORVM NATURALIVM ET SUPERNAT- RALIVM.

§. LII.

Antequam ad alteram huius Dissertationis partem progrediamur, in qua differentia, quae inter somnia naturalia et supernaturalia intercedit, ad potiora quaedam momenta reducetur, nonnulla de causis huius diuersitatis praemonenda erunt. Quicquid luc pertinet, *tum* ex indole animae nostrae, *tum* ex somniorum supernaturalium natura, quantum nobis cognita est, deducitur.

In diuidandis rebus supernaturalibus tardo incedimus passu. Quantunque sit diligentia, qua in abditis eorum causulis inquirimus, saepius tamen non vtra probabilitatem adh endimus. Turissima via est, quam illi eligunt, qui comparatione eorum cum eventibus naturalibus, in quorum locum succedant, instituta, causam et indolem earundem, rimantur, et quantum in re tam ardua cognosci potest, ad hunc usum applicant. Eadem incedemus via Absoluta priori parte, in qua de conuenientia somniorum naturalium et supernaturalium egimus, nunc ea exponenda erunt, quae differentiam somniorum supernaturalium concernunt, iisque propria sunt. Quae cum in relatione ad indolem somniorum naturalium spectata demum rite intelligantur, illam in tota hac tractatione, ut ducem sequi constitutus sumus.

G

§. LIII.

§. LIII.

Somnia naturalia et supernaturalia in quibusdam a se inuicem differre, cum magna eorundem conuenientia apprime conciliari, et ex ipsa animae nostrae indole deduci potest. Ea est somniorum per naturam animae nostrae in ipsa productorum conditio, ut multis omnino nacuis laborent. Hi tum ex essentialibus, quibus facultates animae nostrae circumscribuntur, limitibus, tum ex diversa eius ad illa, quae extra eam sunt, relatione, vnde infinita modificationum series proficietur, ortum trahunt. Quicquid per viam animae in somnio actuatur, parum omnino est, et praeter idearum, quae olim existiterunt, reproductionem earumque combinationem, sere omne ad lusus phantasiae recidit. Quomodo cumque anima nostra per facultatem suam fingendi et praeditandi, miras rerum imagines in somnio formare, et futura quadam coniectura assequi valeat, tamen non ultra sphaeram suam, adscendit, nec ex simplicibus rerum ideis nexus futrorum perspicere, aut abditas earum causas eruere, viribus satis pollet. Hacc cum ex illis, quae supra (§. XXV. XXVIII. XXXVI. XLIII.) pluribus exposita sunt, abunde pateant, necessariam, quae inde fluit somniorum supernaturalium a naturalibus diuersitatē satis loquuntur. Pone enim ideam quandam, cuius productio in anima nostra, dum somniamus, naturaliter actuari nequit, per somnum supernaturale excitandam esse, impedimenta quaecunque remouentur, facultates animae, quarum adiumento hic finis facilius obtineri potest, ad illum dirigitur, omniaque, ut breuiter nos expediemus, quae ad actuandum illum spectant, praestentur, necesse est. Hinc phantasiae imperium ante omnia coercendum est, et perceptiones, quae alias locum non habuissent, in anima producendae sunt: leges autem, ad quae somnia, sinaturaliter eveniunt, accommodari solent, haud raro negliguntur. aut saltē violabuntur. Quae cum ita sint, multis omnino ex causis somnia supernaturalia a naturalibus differunt.

In quo praeceps a naturalibus differunt, in sequentibus ostenditur. Duo sunt, quae hoc loco adhuc commemoranda veniunt. Primum est omnium supernaturalium causam primam et efficientem ipsum Deum esse. Cum enim per animam et modo naturali actuari nequeant (§. XI. XIII.), illis autem, prout omni enti contingenti causa quedam efficiens omnino tribuenda sit, ab ente quodam extramundano, Deo scilicet, illa produci necesse est (per princ. Cosmol et Theol. nat.). Alterum quod monendum esse duximus, proprius ad

superiora spectat. Finem quandam per somnia supernaturalia obtinendum, a nobis assumi, veritates de Deo ex natura cognitae postulant. Nulla enim in Deum cadit actio temere suscepta, sed libere semper ex distinctissima cognitione et sapienter agit. Non erit itaque quod probemus, Deum ab ordine naturae, quem ipsem praescipit, non sine certo quodam fine, eiusque perfectissima representatione discedere. Quod cum de supernaturalibus in genere constet, idem de somniis huius generis adfirmari poterit. Qualis autem hic finis esse soleat, alibi inuestigabimus.

§. LIV.

Ex ipsa etiam somniorum supernaturalium natura, qualēm eam supra §. XLII. definiūmus, diuersitas eorum a naturalibus colligitur. Somnia naturalia a sensatione proficisciuntur, et perphantasmatum successionem continuantur (§. XXVII. XXVIII.). Somnia supernaturalia autem tum ratione originis, tum respectu continuationis, ab imaginationis et sensationis lege interdum aberrant adeoque verum inter illa divisionem obtinet, cum ea naturae animae conuenienter, eveniant, quod in his desideratur.

§. LV.

Prima quae inter somnia naturalia et supernaturalia intercedit diuersitas ad eorum originem spectat. Naturalia a sensatione quādam ortum ducunt (§. XXVIII.), quod non aequē in omnibus supernaturalibus somniis accidit. In somnio enim supernaturali omnes mutationes in anima producendae ad finem praefixum diriguntur et accommodantur (§. LIII.). Hinc vel sensatio quaedam naturaliter in anima producta aut producenda huic fini obtinendo responderet, vel non. Si prius, ratio sufficiens non adest, cur illa impediri et alia supernaturaliter producenda in eius locum substitui deberet. Hinc ut medium huic fini subordinabitur, et somnum supernaturale ab illa ortum suum ducet. Si posterior, locum inter media, quibus Deus ad finem, quem intendit, actuandum, vtitur, occupare nullo modo potest. Hinc aberit, et somnum sine sensatione praeuia actuabitur.

Per naturam animae quidem phantasma semper praeuiam sensationem supponit, et ordo iste, quantum fieri potest, in somniis supernaturalibus aequē ac naturalibus obseruatur. Deus autem ut auctor huius ordinis, eum sapienter immotat, et ut finis, quem sapientissime elegit, optimis mediis et via brevissima obtineatur, ab eo recedit, quo-

tiescunque sapientiae eius consentaneum est. Vtiusque generis exempla hic adduci possent, sed cum breues esse nos oporteat, illis non immorarum. Qui plura et elegantiora hisce omnibus de hoc argumento addiscere caput, is cum insigni fructu et voluntate solido disfusnam eorum cognitionem ex Viri Excellentissimi et Amplissimi IO. FRID. STIEBRITZ, Praeceptoris et Factoris mei pie colendi, Meditationibus de somniis mere humanis et diuinis, quae inuenit anno MDCCCLII. in den wöchentlichen Hallischen Anzeigen, no. I. II. III. prodierunt, haurire poterit. Cum his conferri inerentur, quae Idem Vir Excell. alibi in libro qui inscribitur: *Der prifenden Gesellschaft zu Halle herausgegebene Schriften*, B. II. n. I. de hoc argumento propositus.

§. LVI.

Alia somniorum naturalium et supernaturalium est diuersitas ratione obiecti. Cum omne somnium res absentes pro obiecto habeat haec autem in praeterita et futura dispescantur, diuersitas omnino hoc respectu inter naturalia et supernaturalia somnia intercedit. Futura non pertinent ad obiectum somniorum naturalium (§. LIII.), quae per phantasmata adeoque rerum praeteritarum repraesentationes continuantur (§. XXVIII.). In somnio supernaturali autem repraesentationes tum praeteritorum tum futurorum locum habent.

Futura sunt vel necessaria vel contingenta. Illa facile praevidentur, et saepius etiam in naturalibus somniis obiectuantur. Haec autem transcendunt sphaeram cognitionis humanae, adeoque non nisi somniorum supernaturalium obiectum constituant, quorum simul indubiam fidem faciunt. Revelatio eorum per somnia supernaturalia aequem admitti debet, quam aliae revelationis strictius dictae species, si scilicet vel religio, vel salus reipublicae, vel quodcumque bonum, cuius nulla poca' euent, non alio modo quam hoc, sufficienter promoveri possit.

§. LVII.

Differunt etiam somnia supernaturalia a naturalibus respectu continuationis eorum. In somnio naturali per phantasie legem, una cum idea partiali totalis recurrat, et per associationem idearum omnia, quae olim simul perceperimus, animo nostro obuersantur. In eo Somniis supernaturalibus cum naturalibus conuenire nequit, cum per via imaginationis phantasmata facile degenerent, et per vanas rerum imagines nobis imponant. Hoc autem productionem earum repraesentationum, quae in somnio supernaturali excitari debent, im-

pe-

pedire, hinc in illo admitti nequit (§. LIII.). Tantum itaque abest ut effraenis phantasia in somnio supernaturali libere circumvagetur, vt potius impediatur, quo minus ideas arbitrarie afficiet, quae productioni representationum supernaturaliter excitandarum obflaculo essent.

Quantum per finem somni supernaturalis fieri potest, etiam hoc respectu somnia supernaturalia per legesphantasiae continuantur (§. LIII.). Nec in somniis supernaturali villa interrupta serice representationum semel productae locum habet, quod itidem obflaculo foret, ideoque remouendum est. Quod cum in somniis naturalibus saepe accidat, in quibus haud raro successiophantasmatum per prae-
sumptionem excitorum, per nouam sensationem et inde ordinatumphantasmatum seriem interrupitur, nullum hoc respectu datum somnium supernaturale compositum (§. XXVI.).

§. LVIII.

Quartum sequitur diuersitatis inter supernaturalia et naturalia somnia principium, ordo scilicet, qui in illis obseruatur, in his autem desideratur. In somniis naturalibus luxurians phantasia plerumque in summis miscet, omni ideo desituuntur ordine (§. XXXIII. XLVIII.). In supernaturalibus autem somniis rem aliter se habere, in propatulo est, cum nullo modo finis, ad quem somnium supernaturale tendere debet, admissa inordinatarum perceptionum serie, obtineretur (§. 53). Hinc non distinctas solum sed etiam ordinatae sint, necesse est.

Inde patet, quo respectu somnia naturalia et supernaturalia ratione status animi in somniis differant (§. XLVIII. Schol.) Huius adiungamus diuersitatem variisque somniorum generis respectu majoris claritatis perceptionum in somnio supernaturali, quam in naturali. Idem breuiter supra (§. I. Schol.) attigimus, et hoc loco, ne quid omnissime videamur, velut in transitu iterum monemus. Ordo qui in somniis supernaturalibus obseruatur, ex limitato imaginationis imperio, quo in somniis naturalibus exercet, ortum trahit. Eo enim sensationum vis adeoque etiam ordo, qui in sensationibus semper maior est quam in imaginationibus, magnopere promovetur.

§. LVIII.

Vltimo denique loco ad diuersitatem, quae inter somnia naturalia et supernaturalia obtinet, iure refertur finis, cui actuando instar medi conuenientissimi inserviunt. A somniis naturalibus omnis

abest ratio sufficiens (§. XXXIII. XLVIII.) et ordo (§. LVIII.). Phantasmata in illis sine vila subordinatione et intentione promiscue se excipiunt. Supernaturalia autem insigni ordine conspicua sunt, hinc perceptiones singulæ rite euoluntur, ita ut sufficiens ratio adsit, cur vna harum perceptionum alteram excipiat. Hinc finis etiam per istiusmodi somnum obtinendus adsit, necesse est.

Praeter ea, quae iam supra (§. LIII. Schol.) in hanc rem attulimus, ampliori illustratione non opus erit. Ex iis, quae in hac sectione de differenti somniiorum naturalium et supernaturalium adducta sunt, diuidicari poterit, quale somnis supernaturalibus in oppositione ad naturali spectatis statuum sit pretium. Haec quidem inanis sunt, ita ut studium quod creduli homines in illis interpretandis adhibent, iure derideatur: aliud autem de supernaturalibus somnis iudicium ferre debemus. Nunquam sine quodam distinctione, qui pro diversa eorum, quibus innituntur, conditione diversa est, semper autem ad bonum aliquod promouendum tendit.

SECTIO TERTIA.

CAVTELAS IN DIUDICANDIS SOMNIIS SUPER- NATURALIBVS OBSERVANDAS EXPOENS.

§. LX.

Necessitas ea-
rum evinci-
tur.

Ea plerumque solet esse rerum nobilissimarum ac praefantissimorum fors, ut quo magis vel dignitate sua reliquas antecellant, vel supra vulgi captum descendant, eo plures nanclicantur sibi admiratores aut vituperatores. Sunt, qui nimio gloriae desiderio accessi illud omne, quod supra aliorum vires possum esse videtur, sibi arroganter tribuant, vanam aucupantes gloriolam. Alii vero sibi tantopere placent, ut quicquid non perspiciunt, vel diuinum sit vel humanum, alto supercilio deficiant, et ne ulli quidem patere existiment. Hinc fit, ut quod illi summis dignum iudicant laudibus, hi maximopere contemnant, et fugillent. Eandem sortem haec de supernaturalibus somniis doctrina experta est. Iam ab antiquissimis inde temporibus fuere, qui magnifice de illis iudicarunt, sed ea duntaxat mente, ut eo melius aliis imponere, phantasmata sua pro diuinis

diuinis somniis venditare et incautis sicutum facere possent. Hi impostores multum detrimenti bonaee causae intulerunt. Post detectas eorum fraudes multis somnia, quae supernaturalium nomine veniunt, ad unum omnia suspicta visa sunt. Et quod magis dolendum est, iis qui supernaturalia aut diuina queaque deridere sibi gloriae ducunt, hac ipsa ratione atra bilis commota est. Ne itaque in hac periculi plena causa in eosdem errores incidamus, circumspecta somniorum supernaturalium, quantum per cognitionis nostrae limites nobis innescunt, diiudicatione opus erit. Hinc non abs re esse duximus, si huic de somniis supernaturalibus Dissertationi cautelae in iis diiudicandis non omnino inutiles, accederent.

Tantam fuisse superstitionis vim, ut fraudulentos homines ad hoc negligissimum imposturae genus compellere, incauti autem, ut fidem illis tribuerent, persuadere potuerit, facile ex monumentis antiquiorum temporum multis instantis probari posset, si otio abundaveremus.

§. LXI

Periculum quod effugere contendimus *duplex* est. Ante omnia videndum est, ne nobis ipfismet imponamus, vel singulare quidetur, piam adfectando, vel ex ignorantia causarum naturalium quicquid non ubique et omni tempore obuium pro supernaturali euentu declarando. Post haec a fraudibus eorum, qui diuina somnia mentionuntur, caendum erit. Hoc ordine cautelae, quas iam subiiciimus, se excipient.

Primam hanc earam classem breviter recensebimus. Non est ea temporum nostrorum ratio, ut ex hac parte multam periculi nobis immineat. Ad duo autem fere capita recidunt, quae hoc respectu observanda veniunt. Attendendum est *tum ad obiectum tum ad subiectum* somniorum supernaturalium. Quisquis sibi rite prospicere vult, ad indolem rerum, quae obiectum somni constituant, attendat, maxime necesse est. Si ita comparatae sunt, ut vel per naturam data opera et adhibito studio perfici possint, aut alio quoque modo supernaturali quadam manifestatione vel non indigent, vel indigna sint, certissima adiuncta indicia, quae contra diuinam indolem somni, de quo lis est, loquuntur. Praeterea ad semet ipsum attendere debet, qui de supernaturali somni sui indole certus esse cupit. Considerare debet, num ad diiudicandam horum somniorum indolem latus aptus et ab omnibus praecognitis opinionibus liber sit, et

Recensentur.

DISSERTATIO DE SOMNIIS.

52

si hoc rite se habeat, num ea omnia, quae somniis supernaturalibus propria sunt, in dato casu locum invenient.

§. LXII.

Maiori adhuc circumspetione opus est ad detegendas impostorum fraudes, quibus alios fallere cupiunt. Cautelae, quarum obseruatione ex hoc periculo clabimur, ad tria capita reduci possunt. *Primo* vnicuique cum Poeta acclamamus, *Ninum ne credere colori*. Quisquis huius moniti semper memor est, nae is saepius ex his infidiliis evadet. Ea est horum hominum astuta, ut quicquid pro sagacitate sua rimati, aut diuinando affectuti sunt, alii ut rem quam diuinitus edoceti fuerint, obtrudant. Hinc ne quis temere ipsis fidem habeat, ante omnia probe considerandum est, an ea quae supernaturalia ab ipsis dicuntur, eorumque speciem aliquem praeferunt, hoc nomine digna sint, aut potius ad eorum numerum, quae naturaliter cognosci possunt, et quorum cognitione sub certis circumstantiis facilior fuit. referri debeant. *Praterea* in indeolem eorum quae per somnium supernaturale addicibile iactant, follicite inquirere nos oportet. Si, quod saepius fieri solet, in serie antecedentium rationem suam habent, non magnopere mirabimur, eum qui acumine et ingenio alios antecellit, facili negotio futura quaedam ex antecedentium nexus praevide. Quo quis est sagior aut ad perspiciendum nexus rerum aptior, eo feliciori successu, ad ea, quae pluribus perspectu difficultas sunt, investiganda, animum adponet. Id *denique* superest, ut ad ea attendamus, quae somniis supernaturalibus propria sunt, eorumque differentiam a naturalibus constituant. Ad hanc examen reuocanda sunt quaecunque somnia quae supernaturalium nomine insigniuntur. Quae cum illis conciliari possunt, hoc nomine non indigna sunt. Hoc examen ad singula capita prout supra (§. LV - LVIII. pluribus expedita sunt, cum maxima attentione ad singula, quae illarum fidei aliquid derogare possunt, instituendum est.

§. LXIII.

Ad exempla quaedam ad Supereft, vt foecunditatem principiorum, quae in hac Dissertacione proposuimus, per adlicationem eorum ad praeflantiora quae- plicantur, dam exempla confirmemus. Satis magna est eorum copia, tum in

in sacris libris, tum etiam in profanis scriptoribus. Cum autem ob temporis breuitatem, vela contrahenda sint, vnum alterumne e selectioribus eligemus. Quae apud profanos scriptores passim obvia sunt exempla, aptiora ad hunc visum esse videntur iis, quae ex sacris litteris satis nota sunt, cum horum divina origo dubio omni caret, inter illa autem quedam notatu digna occurrant, de quorum inde le adhuc sub iudice lis est. Primo loco duo notabiliora huius generis somnia, quae apud CICERONE M (L. I. de Diuinat.) exstant, propriis ipsius verbis referam, cum vix elegantioribus exprimi possint. Quid? (inquit) illa duo somnia, quae creberriuae commemorantur a Stoicis, quis tandem potest contemnere? vnum de Simonide: qui cum ignotum quendam proiectum mortuum vidisset, eumque humauisset, haberetque in animo, navem consendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura afficerat: si nauigasset, eum naufragio esse peritum: itaque Simonem rediisse: periisse caeteros, qui tum nauigassent. Huic statim subiungit alterum Arcadis cuiusdam aequo notatu dignum somnium. Cum duo quidam, inquit, Arcades familiares iter vna facerent, et Megaram venissent, alterum ad cauponem diuertisse, ad hospitem alterum. Qui vt coenati quiescerent, concubia nocte visum esse in somniis ei qui era in hospitio, illum alterum orare vt subueniret, quod sibi a caupone interitus pararetur: eum primo perterritum somnis surrexisse: deinde cum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare, vt quoniam sibi viuo non subuenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se intersectum in planulis a caupone esse conieclum et supra stercuinieclum: petere, vt mane ad portam adestet, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero somnio eum commotum mane bubulco praefto ad portam fuisse, quae sif ex eo, quid esset in plaustro, illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse, cauponem re patesfacta poenas dedisse. Quid hoc somno dici potest diuinus? Haec CICERO. Somnium hoc utrumque, potissimum autem Arcadis illud attentione dignissimum omnino est. CICERO ipsem, *quid hoc somnio* inquit, *dici potest DIVINUS?* Sed si veram CICERONIS mentem affectu fuerimus, eam tantum ob causam hoc somnium, aequo ac illud SIMONIDIS, diuinum esse voluit, quia utrumque non obscure sed satis distincte propositum erat. Hanc illius mentem esse,

ex alio loco (l. II. de Diuinat.) colligimus, vbi ad ytrumque hoc somnium alludit. Quam autem ob causam, inquit, tam est obscurae admonitus - - potius, quam aperte - - sicut Simoni des vetitus est nauigare? Ergo *obscura sonnia minime consentanea sunt maiestati Deorum*. Vt autem CICERO NIS de horum somniis diuina indole mens fuerit, in denominatione, qua vñus est, cum eo consentimus. Somnium hoc, dummodo de eius veritate fatis inter nos constet, omnino notas diuinae originis habet (§. LXII.): quo præter claritatem eius, iam a CICERONE notatam (§. LVIII. schol.), etiam obiectum (§. LV.) et finem eius (§. LVIII.) referimus. Sed ad alia pergimus.

§. LXIII.

Aequo attentione dignum est somnum THEODOSII, quod THEODORETUS et ex eo HERM. WITSIVS (in Praef. Mischell. Sacr. §. 2.) memoriae mandauit. THEODOSIVS cum bellum contra EVGENIVM Tyrannum gereret, referente THEODORETO cum parua copiarum manu se ad pugnam accingebat, totam noctem ad Deum precatus. Circa diluculum somnus eum incepsit. Humi iacens videbatur fibi duos viros alba ueste induitos et equis albis veclios, conspicere. Hi iubent eum metu seposito hilari animo esse, et prima luce aciem instruere, se enim ei in auxilium et propagulum missos, et alterum quidem Ioanem Euangelistam, alterum vero Philippum Apostolum esse. Hac visione Imperator alacrior ad preces coram Deo effundendas redditus esse dicitur. Eadem autem visio insuper militi cuidam somnianti contigit, qui a Tribuno, cui hoc narrauerat, ad Magistrum Equitum deductus est. Hic se noui aliquid Imperatori dicturum esse sperans, statim id illi retulit. At vero THEODOSIVS, non mea causa, inquit hoc vidit: ego enim iis, qui victoriam sunt polliciti, credidi: sed ne quis forte suspicetur, pugnandi desiderio me iste finixisse: Adiutor imperii mei haec isti quoque reuelauit, ut narrationis meae idoneus esset testis. Priori enim mihi communis Dominus hanc visionem obiecerat. Sequamus ergo, ab icto metu, antesignanos. Praelium feliciter THEODOSIO. Haec ecclit THEODORETUS. Nec hoc somnum definiuntur notis diuinae coindistam originis, quibus præter eas, quas cum supra adductis (§. LXIII.) communes habet, noua insuper ex verbis THEODOSII, charactere maiusculo expressis, deducenda, accedit. §. LXV.

§. LXV.

His exemplis vel unicum ex eorum numero adiungimus, quae non eiusdem indolis ac valoris sunt. Peropportune nobis in manus incidit, quod **GASSENDVS DE PEIRESKIO** in vita eius refert: somniasse scilicet **PEIRESKIVM** in itinere Monspelium inter ac Nemaum, et obscura voce verba quaedam murmurasse. Tunc **RANERIVM**, in hoc itinere **PEIRESKI** comitem, eum, ecquid noui esset, interrogando e somno excitasse. Tum ille, proh! inquit, quam gratum bellumque excusisti somnum? Sonniabam, me esse Nemaui, oblatumque mihi fuisse ab aurifice numisma aureum **IVLII CAESARIS**, pretio quatuor scutatorum: et ecce iam numeratus eram illi pecuniam, cum tu importune me excitas, et ex oculis aurifex, et ex manibus numisma evanuit. Deinde cum Nemaum peruenisset, in aurificem incidit, ex quo cum quaeſiuisset, si forte aliquid rarum haberet, ille respondit, se aureum **IVLII CAESARIS** numimum habere, eumque pretio quatuor scutatorum vendere. Tunc pecuniam ipsi numerauit. Ita **GASSENDVS**. Operae pretium duximus, enarrationem huius somni totam huic ꝑpho inferere, vt eo accuratius ex circumstantiis huius somni de eo iudicare liceat: Vt cunque singulare sit hoc somnum, et supernaturalis speciem quodammodo referat, omnia tamen naturaliter contingere potuisse, cum **GASSENDO** pronunciamus. Cum enim **PEIRESKIVS** iam prope Nemaum fuerit, et studio numismatico magnopere delectaretur, facile perficimus, unde haec ideae animo eius in somnio obuerfari et per associationem idealium cum reliquis combinari potuerint, (§. XXX, LVII, LXII). Nec quicquam quod supernaturalem huius somni productionem testatur, in eo obuium est, cum potius haec phantasmatum mirabilis combinatio pro naturali eius actuacione militet. (§. LVIII).

§. LXVI.

Non ingratum foret vnum alterumne ad confirmando et illustranda ea, quae supra proposuimus, addere. Sed cum tempore prematur, filum abrumpimus.




* * * * *

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

RESPONDENTI

IOANNES LUDOV. SCHVLZE

A. M.



Inter eos qui **TIBI** bene cupiunt, is forte sum, a quo pa-
rum dignam commendationem exspectas. Facile omnino
litteris meis careres, nisi partium mearum esse videretur,
publice his testibus significare, quanti **TE** faciam. Ex quo
admiratorem virtutum **TAVRVM** me nactus es, **TE** amicum
habere optau. Hoc nomine **TE** iam compello, et fausta
quaueis **TIBI** adprecor. Summum Numen, cui tot insignes
dotes acceptas refers, annuat votis tuis, rerumque **TVA-**
RVM cursum felici coronet exitu. Me ad quaecunque offi-
cia quae a meae fortis homine proficisci poterunt, semper
habebis paratissimum. Vale. Dedi d. XVIII. Maii.

cl. locclviii.



MON.

abusing eny , et feroit estoY eb in' eys conditiones si
t'en nom de Dieu . I . j'ay done enys quando
enval enq' esq' regnent en mon , obiliengz sov , lme redi-
cti no estz my plementz si des crues to , m'assister n'm
et EA . Dessexeberie V eb n'mes fent que ols d'long
des V et , chansir leys plementz . V ois plementz ,
le monsieur ays leys plementz . V ois plementz ,
estime de le V ois plementz . V ois plementz ,

Croyez moi , mon très cher ami , que l'occasion de Vous faire connoître l'estime que j'ai pour Vous , et de Vous temoigner la part sensible que je prends pour toute ma vie à Votre bonheur , me donne la plus grande joye du monde . Car Votre diligence très particulière , Votre habilité très extraordinaire sont , qui le causent , qu'on cherche tendrement Votre amitié , et je ne puis m'empecher de Vous dire , que ces précieux characteres sont qui me charment extraordinairement . Ce n'est pas le langage d'une basse flatterie , que nous detestons tous deux également ; mais c'est la vérité et c'est l'effet d'une bonne amitié qui m'obligent de Vous dire avec une satisfaction interieure . qu'il n'y a rien de si flatteur ni de si obligeant pour moi que Votre connoissance . S'il est permis aux hommes de pénétrer dans les tems , qui doivent s'écouler , je Vous préfage , par

XOM

H 3

la

ON



la connoissance que j'ai de Votre chara^{ct}ere, vne grande charge dans notre état. Je pouvois poursuivre mon très cher ami, vos qualités, mais les louanges des plus favans m'en retiennent, et autre cela le present jour fera on irréprochable et perpetuel temoin de Votre dexterité. Au reste MONSIEVR foyez persuade, je Vous honore, je Vous estime et je Vous aime plus que personne et je suis,

Mon ob^{lig}é Votre le 16 Mai
à Halle le 16 Mai
1759.

CHR^TEN FREDERIC BREDERLOW.
Etudiant en Theologie.

de la Pomeranie,
Etudiant en Theologie.

MON-

MONSIEUR,

Les qualités extraordinaires, que vous possédez, meritent une considération attentive et particulière si l'on veut procéder d'une manière sage. J'ai gouté le plaisir de nous voir souvent de fois, en compagnie. J'ai profité de Vôtre erudition ce qui cause que je Vous aime passionnément et je me rejois tous les jours, si j'ai le plaisir de Vous parler des affaires d'importance, ce qui fait qu'on tache de Vous imiter. Certes TENDRE AMI heureux est celui qui se Vous choisit pour une modèle, de regler toute sa manière de vivre, et qui cherche d'apprendre autant que Vous. Croyez et foyez persuadé je parle sans flatterie. Je pourrois encore allequer beaucoup de Vos qualités, mais Vôtre modestie m'en retient, et je crois d'avoir avancé peut-être en



en ces peu de lignes. C'est mon devoir que je Vous rends graces publiquement de l'honneur, que Vous m'avez témoigné de contribuer quelque chose à vos éloges et continuez donc l'amitié je Vous prie. Rien n'en reste que Dieu Vous conserue pour le profit de l'Eglise, pour l'agrement de Vôtre patrie, pour la gloire et l'ornement de Vôtre famille. En attendant je Vous prie très-humblement de croire que personne ne peut être avec plus d'estime, de respect, et de reconnaissance, que moi

MONSIEUR

P 523

[A faint, handwritten note in the margin:]
M. Brederlow à Halle le 18me Mai 1789.

Votre très humble et très obéissant Serviteur
et sincère Ami
G. BREDERLOW,
de la Pomeranie,
Etudiant en Théologie.



ULB Halle
002 612 283

3



Sb

1078





8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Cyan	Green	Blue
8									
7									
6									
5									
4									
3									
2									
1									

